

iustum vltionem fieri putat, vt animæ ex improborum corporibus migrantes, post mortem in belluarum corpora, vel hominum seniorum mittantur ad prius scelus eluendum. Carpocrates autem contraria sentit, idcirco post vitam hanc mitti in alia corpora animas hominum, quod non se satis voluptatibus expleuerint & conspurcarint. Vnde quæ animæ temperantius hic vixerint, saepius in corpora detrudi. 6 Mundum hunc negat à Deo factum, sed ab inferioribus angelis, inter quos præcipuus sit diabolus. Hi sunt nimirum Platonicæ philosophiæ fructus, & contemptæ simplicis & celestis veritatis, quæ in libris sacris tradita est, iusta sanè vltio & supplicium, per quod in reprobum sensum homines à Deo inducantur, vt qui ethnicæ isti sapientiæ tantopere sunt addicti, tantumque tribuunt, discant tandem aliquando sibi displicere: & tamen impudenter illi Christum suarum nugarum autorem profitebantur, quasi eas discipulis suis clam tradidisset. Vnde nec ipsi hæc tam fœda mysteria quibusuis patefacienda esse dicebant, sed discipulos suos in auricula dextra subulla & stigmate aliquo notabant, vt scribunt Irenæus & Epiphanius.

3 *Marcellina.*) De Marcellina ista prius diximus in Gnosticis, de qua etiam meminit in hac heresi Epiphanius & Eusebius lib. 5. cap. 16. Cum ea fornicatus & consuetudinē habuisse traditur Carpocrates.

C A P. VIII.

Cerinthiani vnde dicti, & erroris eorum capita quinque.

Cerin-